

Dissertatio medica de consensu partium ... / autor Jo. Mauritius Triller.

Contributors

Triller, Johann Moritz, active 1686-1701.
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.

Publication/Creation

Jenae : Literis Krebsianis, [1686]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b3wgc5qm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

15

I. N. 3.

DISSERTATIO MEDICA
CONSENSU
PARTIUM,

Quam

PRÆSIDE
GEORGIO VVOLFFGAN-
GO VVEDELIO,
Med. Doctore, Theoretices Professore
Publico, Consiliario & Archiatro Ducali Saxon.

S.R.I. Natur.Curiol. Adjuncto,
Patrono ac Præceptore suo æternum
venerando,

Placidæ Eruditorum Dilquisitioni subjicit
A U T O R

IO. MAURITIUS Griller /
Bürg. Thur.

In Auditorio Medicorum,
horis consuetis,


Ad D. Januar. M DC LXXXVI.

J E N Æ,
Literis KREBSIANIS.

*MAGNA UBI SIGNA
VETANT CAPITIS CONTINGERE NUMEN
PARVA CORONA PIE PONITUR ANTE PEDES
SIC AD VOS*

MAGNI FAUTORES
*ATQVE
PATRONI*
EX HORTIS MEDICIS
*JAM MEA SERTA FERO
CUM NON APTA SATIS
QVÆ CIRCUM TEMPORA DENTUR
PACE TAMEN VESTRA DIGNA SIENT PEDIBUS
ME QVE
TRAHANT ULTRA VESTRÆ VIRTUTIS AD ARAS
DEBEO QVEIS GRATÆ MENTIS
ET ARTIS OPES*

J. M. T.



Proœmium.

Cum corpus humanum automaton sit artificiosissimum, variis gaudens rotis, elateribus, vasis, antliis, follibus, valvulis & funibus, mirandum est, quo concentu & harmoniâ omnia procedant.

Actuat hanc polydælam machinam anima, non solum fluido vitali nectare undique dispensato, commercio à regiâ ad universas partes perpetuò continuato, unde calor & vigor illibatus perstat; sed etiam subtiliori impulso.

Sanguinis activitas non tanta erat, quæ requirebatur ad citatissimum motum, quare portatores opus id exequuntur, alii velut satellites & præsidiarii, alii stationarii & excubidores, alii missionarii & cursores publici, ut horum medio anima sit in toto & quâlibet totius parte.

Per sanguinis hunc & spirituum motum, juxta variam particularum ad leges mechanicas dispositionem, fibrarum texturam & pororum configurationem partes nunc has nunc illas operationes perficiunt, alia tamen alterius indigantur. Organa certa hinc inde locata laboratorium archei particulare constituunt.

Certæ & perpetuæ inter has partes & organa sunt confœderationis leges, tum communes, tum propriæ, unde aliæ sororiantur magis, compatiuntur invicem & con-

fent iunt, utrâque fortunâ, seu bona seu mala ipsis obveniat.

Quamdiu nempe commercium inter se servant, mutua sibi subsidia & officia, salutem communem respi- cientia, præstant, omnesque, ut in lyrâ fides, amicè con- spirant; tamdiu suavis harmonia sive consonantia obser- vatur, omniaque in optimo vigore perdurant. Simulac autem una pars à toto dissentiat, variæ ut plurimum in microcosmo turbæ excitari solent, & altera alterius cul- pam per consensum luere.

Cum itaque multum intersit consensum hunc nosse exactè, ac judicium medicum etiam quoad hunc sit diffi- cile, operæ pretium duximus de eodem impræsentiarum disquirere, quod ut feliciter eveniat, divinum adoramus Numen!

CAPUT I.

De Consensu partium in genere.

Dum consensum partium dicimus, nemo non facile videt, denominationem illam desumptam & tradu- Etam esse ab animo ad corpus. Ut enim consensus animorum facit amicitiam, ut idem velle & idem nolle demum vera sit eadem; ad eundem modum partes corporis invicem consentiunt.

Solent id Chimici eleganter vocare symbolismum, quandoquidem pars parti magis est symbolica; idemque communi sympathiæ notione comprehendere licet, quamvis hæc fere strictius paulo soleat accipi, consensus latius. Συμ- πάθεια Hippocrati audit, qui & Συμπόνειν vocabulo ad idem exprimendum, præter alia, utitur, nouaria Galeno & aliis.

Sin ad leges musicas id applicemus, harmonia quædam & symphonia est inter easdem, quod itidem tamen latiori gaudet significatione. Eadem ratio est communis.

Helmontio audit actio regiminis, quo una pars pareatur alteri, & dominium regimen, aspectus, influxusque & præceptum ab hâc in illam manat vel spirat actu dependentiae. Quamvis enim actionem illam regiminis non esse eandem cum consensu partium vulgo dicto velit; illud tamen magis concernit vias, per quas exerceatur, quam rem ipsam, unde cum per tot secula consensus hoc nomen receptum sit, merito id retinemus, & singula ad bonum sensum trahimus, ut conjunctis potius quam sejunctis animis emicet & sibi constet rei veritas.

Ut verò certiori progrediamur tramite, ex consideratione totius complexus hujus, sequenti definitione ante oculos sistemus consensum illum. Est nempe consensus partium affectio earundem mutua à dependentiâ earundem vitali.

Affectio est, ut innuatur commune illud, quod inter unam alteramque intercedit. Omnis enim consensus affectionem supponit. Neque enim consentiat quis, vel dissentiat, nisi affiliatur in alterutram partem. Medium ergò hoc vocabulum omnem illam rationem formalem complectitur, in quâ consistit consensus.

Consensum hunc partium ad se invicem limitavimus. Maxima enim hujus latitudo est, si comparationis terminus extendatur ad alia, quæ brevibus saltim libabimus.

Decantatissimus est consensus microcosmi cum macrocosmo, adeò ut illud *Hermetus* huc applicare liceat: quod est superior, est sicut inferius; & juxta Chemicorum primicerios, quicquid est in macrocosmo, illud est in microcosmo. Analogia illa peperit symbolismum planetarum, viscerum, & metallorum, ut sol cum corde & auro, luna cum argento & cerebro, saturnus cum splene & plumbo, Jupiter cum hepate & stanno, mars cum vesiculâ felleâ & ferro, venus cum ge-

nitalibus & cupro, mercurius cum pulmonibus symbolizet.

Ipsa tamen hæc similitudo, quod alias in proverbio est, claudicat, neque tam accurate vel rigorosè rem exhaustit. Quis enim nescit Saturnina medicamenta non æquè spleni quadrare, q[ua]lia utero magis favere, q[ui]em verò eo fine neutquam celebrari? Ut taceamus, ventriculum non minus nobile viscus, & reliquis dignitate par, si non superius, non sine insigni injuriâ excludi. Hinc specifica illa vis & affinitas in propinquioribus mediationis seu affectionis terminis, quam remotioribus illis jure merito querenda est.

Nec indictam abire possumus analogiam, non minori cum applausu jaçtam ab Astrologis, inter stellas fixas, & nominatim Zodiaci signa integra; cum partibus corporis. Ut aries v.g. caput respiciat afficiatque magis, taurus collum, gemini humeros, cancer pulmones & sic porro, non sine plurium subiectorum in quolibet signo concursu.

*Namque aries capiti, taurus cervicibus hæret,
brachia sub geminis censentur, pectora cancro &c.*

Ex quo plura, ut fit, inconvenientia fecuta, vel etiamnum obtinent apud vulgus eruditorum ipsum, qui nempe non ultra vulgus sapiunt. Est enim & hæc una ex superstitionis Astrologorum hypothesib[us], qui dum disquirunt quibus membris humani corporis singula signa præsideant & dominentur, tanquam Dii minorum gentium, una cum planetis, velut majorum gentium Diis, summi veri Dei mirum quantum obliviscuntur, in quo vivunt, moventur & sunt partes universæ.

Mittamus Chaldaicis & Ethnicis illas superstitiones, & quæ ex eodem fonte fluxerunt alia, utpote talismanica curandi ratio, de quâ *Præstigia Hermetis* dicta MSSta, *Hübnerus* & similes alii pleni sunt. Rideamus quoque hodienum, vel deploremus potius, depictum cum venis & signis Zodiaci homunculum in Calendariis, cum inscriptione: *An keinem Glied läßt zu jeder frist/wenn der Mond in sein Zeichen ist / quonihil ineptius, nihil absurdius cogitari potest.* Ne progediamur longius, ad ipsum imperium astrovum in regna, provincias,

vincias, urbes, mirum quod non etiam in cloacas exten-
ditur.

Tolerabilior est consensus medicamentorum cum par-
tibus humani corporis, quæ hinc specifica audiunt. Atta-
men nec hæc cœco & empirico modo statui debent, quod
alius est loci. Omnia ex proximioribus principiis æstiman-
da, omnia ex genuinâ philosophiâ.

Sic & animalium quorundam consensus, seu sympa-
thia potius, cùm homine, quod de mustelâ, lacertâ & aliis
communiter assérunt, tanti non est, ut ad se nos vocet, vel si
quis est, ad easdem regulas fuerit judicandus. Hinc & il-
lud vulgatum huc applicare licet: non amo te, nec possum
dicere quare, hoc solum possum dicere non amo te, de quo
in sequentibus plura laudabimus. Non tam illum con-
sensum generalem ad extra, ut ita loquamur, disquirere est
animus, ubi, dicente *Barclajo*, inferiora superioribus per mu-
tuam applicationem copulata miraculorum speciem exhi-
bent, sed mutuum internum, quæ pars cum parte fovet.

Cum ergò dari ponimus & sympathiam, quæ causæ
sæpe nomine laudatur, & consensum, neutiquam illum ad-
mittimus ut ignorantia asylum, quo palliare incuriam vel
inscitiam debeamus, inquisituri & qualis sit & unde sit, quæ-
que alia huc faciunt.

Mutuus est, adeoque dependens & divisus invicem,
quamvis alias latens, alias patens sæpe. Nec tam strictis can-
cellis includendus, quin alias directus sit, alias indirectus.

Ut enim in republicâ, vel œconomiâ omnes quidem
cives, incolæ, membra & personæ inter se habent quandam
affinitatem, in commune bonum & salutem reipublicæ, do-
mûs, familiæ directam; alii tamen propinquius se tangunt,
alii aliter afficiuntur, imò in partes quoque abeunt: Ad
eundem modum in republicâ microcosmicâ & œconomicâ
animali se res habet. Quot partes, quot membra, tot cives
& incolæ, unius corporis comprehensi ambitu. Seu con-
cisis, quemadmodum in horologio omnia in unum con-
spirant finem, ut motu difformi unus idemque totius emer-

gat in effectu, per ipsam mechanicam: sic longè magis in corpore humano, automato vivo, id evenit, utrobique lassione unâ redundantem in reliquas.

Nec opus est laudare partium definitionem & differentias, satis nobis sit omnes hoc nomine complecti, quæ per naturam reperiuntur in corpore idque integrant, & reliqua supponere, unde & progredimur ad has ipsas.

CAPUT II.

De Subjecto.

Non solum maximè interest nosse partem affectam, quænam pars corporis tanquam subjectum morbum sustineat, sed etiam an *per se*, an per consensum afficiatur.

Cum ergò pars cum parte vel à parte patiatur, omnes huc referendæ sunt differentiæ, quæ id illustrant. Inde enim in quolibet consensu explicando & determinando non unum aliquod solum subjectum nominari potest, sed aliud (i.) est *afficiens*, aliud *affectum*. Illud ordine naturali præcedit, vel simultaneum saltem est, hoc sequitur vel comitatur; unum afficit, alterum afficitur. Et quidem in naturali statu ferè id minus obtinet, ibi enim omnia consentiunt, symbolizant, in salutem microcosmi æqualiter concurrunt.

Dignus est hic locus insignissimus *Hippocratis*, qui expendatur paulo plenius, ex libro nempe *de anim. c. 4. t. 24.* ubi occasione alimenti partium addit: ξύπνωσα γεία, ξύμπνωσα γεία, ξυμπαθέα πάντα. *Confluxio una, conspiratio una, consentientia omnia.* Cum itaque rectum sit index sui obliqui, ex hoc ipso consensu perpetuo naturali & harmonico facile colligi potest, quomodo seorsim patesiat ille consensus.

Enimvero (2.) Consensus alias, & consequenter subjectum

Etum illum sustinens aliud est *latens*, aliud *patens*. Tacita est consenſio in statu naturali, expressa in statu neutro & morboſo. Quando enim æqualis fit concursus, æqualis σύμπαξις, non id ipsum tam animadvertisit, & causæ sociæ ſtant pro unâ gemino labore, geminis functionibus ex æquo gaudentes. Sin ab externis cauſis, ſeu ab intra contingat aliqua impressio, ut pars afficiatur intimius, mox ſocium & fidum magis membrum rapit in hujus ſocietatem, adeò quidē, ut hoc primò videatur morbum denunciare archeo universalis, vel ægro & medico ipſi. Ita latens ſubjectum calculi ſunt renes, vomitūs coniuncti & magis obvii ventriculus.

Adeoque ſubjectum (3.) commune omnis conſenſus & *adequatum* eſt totum corpus, conſideratum quoad œconomiam, ſpeciale hæc vel illa pars ſeorsim, quoad actionem, propriam cuivis. Elegantissimè de eo *Couſl. c. natuſi μὴ γλομελίνη πάντα, juxta totius quidem corporis naturam*, ſeu, ut *Salomon Albertus* vertit, universitatem, *omnia*, ſcilicet conſentientia, ſunt: ſic ut totum omnibus partibus, manibus etiam & pedibus v. g., hæc viciffim toti velificantur, pedes, manus, ut compleatur collectivè, omnium concurſu, una sanitas, illibata ad agendum potentia. Καὶ μέρες ἐπὶ τὰ ἔνδιξω μέρει μέρεα πέρος τὸ ἔργον, juxta partem verò partes in unaquaque parte ad opus, ſive actionem communem organicam conſpirant; quo ſanè nil accuratiuſ, nihil concinnius dici potuifſet.

Hinc ſubjectum aliud eſt per effentiā, quod primariam labem ſuſtinet, aliud per conſenſum, quod aliunde illam mutuatur & offert. Illud abſolutum quaſi, hoc comparatum; illud independens, hoc dependens, quod de omni conſenſu valet, ſiquidem, ut illud huc applicemus, accessorium ſequitur ſuum principale.

Subjectum affectionis expreſſæ concinnè dicitur locus, ſubjectum verò originationis, ex quo ſcaturit & proficiſciunt morbus ſive affectus, *focuſ*, item *minera*, unde & diſtinctio ſolennis apud medicos eſt inter ſubjectum morbi, ſive ſymptomatis, & ſubjectum cauſe, unde fovetur.

Facit huc imò suo modo inter partem mandantem & recipientem distinctio. Pars mandans autem appellatur, quæ humorem, vaporem, mineram peccantem gignit, fovet, promovet; recipiens, quæ aliunde accipit.

Quando itaque ad speciem progredimur, nulla pars est in corpore, quæ non mutuâ tali affectione pro re natâ gaudeat. Consensus est & συμπαθησις inter totum & partem, unam vel plures, idque citra respectum nobilitatis, præstantiæ vel dignitatis. Lex omnibus æqua est & una. Sæpe à parte minimâ & abjectissimâ quoque in totum redundat malum, exemplo unguium in paronychiâ. Si detur punctum aliquod morbosum in microcosmo, totus inde concuti & quatî potest. Exemplo sint dolores, inflammations, vellicationes, vulnera, vel alia, unde communi afficiuntur omnes partes consensu.

Toti verò partem consentire aliquam specialem videntur primâ fronte minus credibile, cum tanto ambitu quod gaudet malum, uno exiguo punto non videtur circumscribi & deprehendi posse. Enimverò id testatur satis experientia, non tantum in morbis capitalibus, peste, elephantiasi, scorbuto, sed & aliis. Sæpe quod toti male est, in unum recidit membrum, quod luere pro omnibus & inse recipere cogitur malum, sicque dum communivitâ gaudet, consentit & iterum in totum reddit. Exemplo sit gangrena in pede à νεκρώσει totius M. S. inchoatâ, quam dum aversatur archeus, sæpè in digitum pedis v. g. amandat, inde tamen progrediens malum subruit non rarò corpus.

Id ergò ut latissimè patet, sic & pars cum parte consentit, diversis modis. Has ut complectamus, operæ pretium est sub essentiali suâ divisione lustrare & hoc referre. Consentiantur inter se partes similares & dissimilares, absolutè & respectivè. Id verò eleganter exprimit laudatissimum: *Coi* testimonium. Consentiantur inter se spiritus, unde ζύμωσις τένεται, conspirantia omnia, inquit. Liceat id applicare ad spiritus, ita enim demum exhaustur res omnis. Archeus universalis particulari, & vice versa, consentit. Spiritus vitalis.

■.

vitalis animali consentit, & contrà. Laboret quis paralysii, salvis licet vitalib⁹ visis, tamen consensus ad illa producitur. Consentient partes fluidæ, unde ξύρροια μία, confluxus unus dicitur, hic enim fit per humores. Impossibile est, quin fiat communicatio ejus, quod cum humore ad vitalia admitti solito communicatur. Consentient partes solidæ, unde ξυμμαγεῖα πάντα & consentientia omnia afferit. Consentient internæ externis, & contra. Consentient dissimilares per similares.

Hinc & hoc loco laudari meretur distinctio inter subiectum denominationis & infissionis. Illud sunt partes præcipue solidæ, dissimilares, actiones enim sunt compositorum, quare de hoc consensu potissimum sermo est: hoc spiritus & humores.

Operæ pretium quoque est disquirere, an æqualis illa in affectionum communicatione & receptione sit divisio, an ad pauciores quasdam illa devoluta sit prærogativa. Si *Helmontium* audiamus, jus duumviratus attendendum venit, commune inter splenem & stomachum, quorum ille primorum motuum, hic primi sensus obeat vices, quamvis alibi quoque stomachum imperare motui declareret, quem & lectum animæ nostræ constituit. Hujus duumviratus autoritatem & potestatem in caput, pulmones, intestina & partes reliquas deprædicat maximè.

Attamen cum actio regiminis illa & testibus & utero adscribenda sit, eademque sit reciproca superioribus & inferioribus, ut caput præsideat v. g. organis inferioribus, hæc vicissim capiti, non potest tam strictis cancellis subiectum, causæ, tamque latis subiectum morbi & symptomatum, comprehendendi. Interim hoc ratum est, in infimo ventre & hypochondriis nominatim plurimorum morborum cudi materia, unde in omnes & singulas partes amandatur. Vicissim verò ex reliquis partibus quoque, per dicta, non minus consensus ille stabiliri & originem ducere potest & solet. Adeoq; consensus hic est reflexivus mutuusque.

Nec morabimur in subjecti hâc confide ratione, an spiritus, an humores, an partes solidæ solummodo ejus titulo veniant, cum diverso respectu utrumque id sit longè

verissimum quod maximè vel ex hoc symbolismo argui potest. Afficitur enim spiritus ab humore, à partibus solidis; afficiuntur humores ab utrisque, non minus ac partes quoque solidæ; ubi nemo non videret, partem quæ afficit, respectum sustinere causæ, quæ afficitur, subjecti, ambulatorio & mutuo officio & concurso. Eodem res recidit, si archeum affici dixerimus, siquidem & illi utrumque competit.

CAPUT III. *De Causis.*

Cum consensus actionem & passionem, eamque relati-
vam, mutuam ac reciprocam, supponat, proximum
jam est, ut de causis ejus disquiramus, unde & qua-
re fiat; quod optimum fuerit deducere juxta ordi-
nem, quo se habent invicem ad effectum producendum.

CAUSA PROXIMA & IMMEDIATA consensus est dependen-
tia partium vitalis. Hâc enim positâ statim ponitur ipse con-
sensus, seu effectus, actio respectivè & passiò. Eâdem verò re-
motâ statim etiam & immediate cedit. Vitalis hæc dicitur de-
pendentia, ut eo ipso exprimatur commune vinculum, quo
illigantur partes, cum nō ut mechanicæ, seu ut mixtum sunt,
afficiantur, sed ut viventes, adeoque sub vitali copulâ, con-
tinuo durante motu, continuo regimine, & sub hujus di-
rectione etiam actione. Post mortem verò omnis ille con-
sensus non minus ac dependentia statim cessat ac perit.

Vitalis absolutè est in statu secundum naturam, tunc
enim unaquæque pars, quæ communi vitâ gaudet, etiam
consensu & confortio innexa est. Vitalis secundum quid
in statu p. n. seu morboſo, unde & magis exprimitur idem.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR est similitudo & conveni-
entia directa vel indirecta. Quod ut paulò altius repetamus,
agentis

agentis & patientis, sive actionis & passionis reciprocatio attendenda venit. Actio est motus agentis & hoc loco communicatio seu promotio, quo unius labes ad alterum derivatur. Sin passionem spectemus, quæ juxta Philosophos manifestius, quam actio declarari potest, triplex illa asseritur, aut fieri vel interire, aut recipere, aut moveri, quod omne hic invenit locum & applicari potest. Fit consensio, quando incipit exprimi affectus cum dependentia ab alio, per quod fit. Interit suo modo, quando definit. Receptio maximè etiam huc quadrat, quæ propriè est unio vel unitio cum eo, quod per actionem in patientis introducitur. Motus est duplex, generationis & localis ; ille terminum à quo, hic ad quem dicit, sicutque passio est fluxus quidam rei motæ.

Liceat nobis philosophari ulterius in tam intricata materiâ. Et quidem actionem hanc non fieri citra omnem reactionem patientis patet, quia membrum affectum non debet considerari ut corpus inanimum, sed vivens, unde non nudâ & cœcâ actione id fieri dici potest. Siquidem nec hic agens agit ad modum activitatis suæ: quin dum videmus partem unam ab alterâ affectam, dum patitur, eo ipso actiones edit, quamvis statui naturali difformes, ut quando ventriculus vomit, aliunde, ut à renibus vel capite, affectus. Reagit, quamvis non quoad hunc actum, tamen alio, ubi idem, quod alio tempore agebat, fit patientis.

Deinde notum est axioma vulgatum: simile simili gaudet. Quod si verum est, vi oppositorum non minus valebit, simile simili tristari vel affici. Neque enim alter canon, simile non agere in simile, valet, nisi quoad contrariatem, ut simile non impetat simile, vel prosequatur & violenter destruetum eat. Secus ergò simile agere in simile verissimum est, unde similia similibus juvari, solvi, ut alia taceamus, apud medicos receptissimum & instar demonstrationis est.

Hanc similitudinem & convenientiam, si ab ovo seu proprio suo fonte rem arcessamus, primariò præstant spi-

ritus & humores illis fœti, utpote portatores communes, illi velocissimi, hi quoque satis celeres. Præstant illi consensum generalem & communem, in complexu considerati, archeus puta universalis, ex æquo prospiciens omnibus. Præstant consensum specificum, quod archei specialis munus est. Hæc actio est regiminis directivi, unde regula generalis fluit: Quæcunque partes inter se magis convenient, illæ etiam invicem magis consentiunt; convenient, similitudine spirituum, humorum, pororum, fibrarum & aliis. Quales humores, tales spiritus; quales spiritus, actionum præfides, tales actiones. Primaria proinde communio fit à spiritibus, adæquatè ab humoribus & partibus solidis.

Ut ergò exhauriatur illa consensus partium consideratio, jamdudum certa similitudinis, convenientiæ & hinc dependentiæ capita fuere assignata. Hinc apud Galenum comm. 3. l. 3. epid. scribitur, τὰς κοινωνίας γίνεσθαι τέχνας, ἢ διὰ γενεalogiā, ἢ διὰ τῆς κατὰ γένους, ἢ ἐξ οἰκοιότητος. Consortia fieri tribusmodis, aut propter viciniam, aut propter familiaritatem generis aut operis. Quibus quartum hinc additum fuit, nempe vasorum.

Non desunt, qui similitudinem generis & officii pro causâ consensus non agnoscunt. Illam ideo, quod neutra causetur effectum consimilem, quod experientiæ id minus respondeat, cum nervi cerebro non compatiantur absolute, nec dependentia unius ab altero subfit. Hanc, quod partes non possint pro Iubitu sibi invicem communicare effectum, cum nullâ gaudeant ratione, electione, libertate. In utrisq; aliam potius causam effectus esse, quam laudatam.

Verum enim verò jam dum diximus, consensum sumi hic paulo latius. Nec promiscuè consensus fit, etiam inter similes aliquatenus, ubi nulla infertur dependentia, quæ ipsa suos habet gradus & ambitum. Negari interim non potest, quæ sub uno genere comprehenduntur partes corporis, habere inter se similitudinem & dependentiam, modò respiciatur ad communem originem, ad reliqua simul.

mul. Neque similitudo generis latius est extendenda. Satis est nervum nervo, venam venæ, arteriam arteriæ, fibras fibris, ut spiritus spiritui, humor humor, quorum eadem est ratio, consentire. Quin modificant similitudinem etiam alia in utramque partem. Hinc nervi omnino consentiunt cerebro, quæ nervosum est, delicatis membranis sensibilius, imò primis talibus, non quæ obstructum est vel aliis modis laborat siquidem cerebri organum latius patet.

Quod alterum attinet, non æstimandæ sunt partes ut mixtæ, ut organicæ, sed ut viventes, sub archei dominio universali illum consensum habentes, quo cessante, ut post mortem, nihil de hoc dicendum superest.

Quemadmodum itaque alias non temerè negligenda sunt à veteribus dicta, sed examinanda penitus, an fundatum in re habeant, & quomodo sint intelligendi primi autores; ita & hīc se res habet. Ponamus etiam alias communionis species magis sympathiam causari, quod tamen non æquè conceditur, si attendamus singula curatius, non negari tamen possunt laudati illi & recepti causandi modi.

Quæcunque nempe similitudine substantiæ, texturæ, elateris convenientiunt & homogenea sunt, in consensum mutuum se vocant. Generis illa similitudo satis latè patet, communis triplicitati partium corporis. Homogenei spiritus, homogenei humores, homogeneæ partes solidæ inter se consentiunt. Ratio est hæc genuina sympathiæ, convenientia generis. Si spitus extra corpus inter se, si humores convenient & ~~negor~~ similitudo, inde similitudo morum & sympathia enascitur. Hic magnes est naturalis, qui allicit unitque inter se personas, philtrum naturale omniumque certissimum & probatissimum. Hic symbolifimus inter cognatos, saltim quoad corpus, quod non solum gemelli, sed & germani fratres aut sorores, quamvis diversis in locis degentes, sæpenumero eodem morbo simul laborent, ut non dicamus & simul mortuos observatos, quod rarius est, & per accidens etiam fieri potest.

Imò & hæc convenientia subjectorum ad alios minus sanguinis

sanguinis vinculo junctos inter se pertinet, qui licet non
conveniant constitutione seminali, tamen homogeneâ san-
guinis crassi in recipiendis à communi causâ morbis. Inde
sunt qui eodem ferè modo rem se habere opinantur, ac in
duobus horologiis accuratissimè quoad omnia sibi similibus,
quibus simul si injunctus fuit motus, eodem quoque tem-
pore sonum edunt. Tacemus *σογγὴν* ipsam sympatheticam
inter matrem & prolem, imò inter patrem quoque, ut legan-
tur exempla manifesti hujusmodi symbolismi, quem Ger-
mani vulgo efferunt, das *Geblüt röhren*. Hæc sanè ho-
mogeneitas, similitudo generis, spirituum, humorum facit
ad explicandum quoque consensum partium in uno eo-
demque corpore.

Non minus enim sed longè magis etiam pars cum
parte symbolizat, ob eandem similitudinem laudatam &
convenientiam. Valet id de similaribus cumprimis, quæ
invicem hunc consensum exprimunt, ut nervus nervo, ve-
na venæ, arteria arteriæ conspiret & concordet amicè. Sim-
plicissimum horum elementum sunt fibræ, tam rectæ & ob-
liquæ, quam circulares, quæ sunt fila quædam oblonga, ex-
tenſa, gracilia, solida, alba, & ex talibus staminibus partim
chordæ nerveæ, partim membranæ componuntur. Ner-
veâ ergò chordâ, ex filis fibrarum extensis constante, in al-
terâ extremitate compulsâ, vel illisâ, altera quoque, ob con-
tinuitatem tensionis, & tremulam istam, à rapidissimo spiri-
tu animalium motu ortam, vibrationem ad similem mo-
tum irritari solet.

Majoris illustrationis gratiâ illud addimus, quod, si
virga aliqua ferrea, per fenestras duorum hypocaustorum
sibi superstructorum transiens in inferiori loco cultello vel
leviter pulsatur, ille, qui in superiori habitat, confessim, imò
ferè eodem momento, pulsationem illam audiat, quem so-
nitum in ferro ut & in aliis metallis derivat ab aëre in po-
ris ejus contento & commoto *Excell. Bohn. diss. de influxu aëris
in sublunaria c. i.* Cum verò nervi instar cannæ Indicæ sint
porosi, simili modo per spirituum motum velocissimum par-
tem

tēm illorum supremam cum infimā in consensum vocari impossibile non videtur. Idem applicare licet, sub eodem undulantium spirituum motu, ad membranas, quas omnes totius corporis multi ex durā & tenui matre oriri tradunt, sensumq; exquisitum inter ipsas communicari judicant, sicut in campanā vel vitro unā parte percussā omnes resona-re solent.

Conf. Bartholin. Anat. lib. 3. cap. 2. p. 458. &

in eandem sententiam Willis Tract. de rat. motus muscularum §. 16. 17. 18.

Non parum hæc illustrare potest experimentum quod-dam *Harvæi*, qui in intestinis lupi vel canis, exsiccatis, inflatis & aquâ repletis, quoties unam partem digiti iectu pul-savit, digitis in alterâ extremitate adversâ applicatis omnem iectûs & motûs differentiam clarè sentire potuit.

Nec obstat huic consensi, partes ipsas eundem pati-entes non gaudere sensu tactus ordinariè, saltim exquisi-to, quem in finem non laudabimus, venas & arterias vel à nervis, vel membranis nerveis, sensum mutuari. Satis est, communi illas spirituum gaudere vitali radio, per to-tum corpus diffuso. Probant idem ossa, exemplo reso-nitus & aliorum.

Si fateri volumus quod res est, hic ipse est consensus privativus, qui sine materiali communicatione peragitur. Nimirum nervosum systema, sive reticulata struētura, par-tes dum alligat, suo hoc consensi catenam æmulatur Platonicam auream, cuius ansâ unâ motâ movetur & altera.

Gaudet etiam hæc generis similitudo suâ latitudine, unde totum nervosum genus consentit uni parti affectæ, ex eodem fundamento, nervi cerebro, cerebrum spinali medul-læ & vice versâ. Applicari eadem potest partibus productis aliis, nominatim intestinis, quorum volumina in vicem ma-ximè ex hoc fundamento consentiunt.

Non minus consensum præstat **V I C I N I A**. Vicinus vicino compatitur; cuius nempe res agitur, paries cum pro-ximus ardet. Hujus vero species haberi meritò possunt & debent **S I T U S & C O N N E X I O**, quippe quæ eundem expli-

cant magis & exprimunt, imò & distantia visa sibi vicina reddunt. Sic ob viciniam uteri afficitur intestinum rectum & vesica, unde obstructio alvi in gravidis ultimis mensibus, ob compressionem, & duσεja vel urinæ suppressio non rara est. Ob viciniam hepar & ventriculus concordant quoque, quod illud huic approximet & incumbat; pulmo pleuræ, hepar diaphragmati, ventriculus intestinis, intestina mesenterio. Videmus idem in inflammationibus quoque aliis, ubi partes vicinæ in consensum maximè vocantur. Ab inflammatione hæmorrhoidum urinæ difficultas à D. Præside observata est, tenesmus, procidentia ani & stranguria ab utero.

Sic ob viciniam compatiuntur intestina folliculo felleo, ut non solum ordinariè ferè tingantur à bile circa illud clima, sed, & bile acriori & fervidiori, sàpe dolorè instar prunæ carentis ibidem concipient. Consentit diaphragma cum ventriculo tùm ob nervos communes, tūm viciniam, unde unum nomen præcordiorum, indeque fit asthima præcordiale, seu dyspnœa à repletione vel inflatione ventriculi halitusosâ. Idem fit in singulu præprimis, adeò, ut non pauci in hoc diaphragma potius pro subiecto quàm ventriculum habeant.

Consentiunt crura renibus lateraliter in calculo, stupore iisdem introducto ab incumbentibus renibus spinæ lumborum, musculis psoas, & aliis confequenter. Consentunt lumbis in affectu ischiadico κάτω crura, ἀνω brachia ejusdem lateris, ob productam viciniæ affectionem juxta cum vasis.

Hæc ipsa vicinia ob motum productum & connexionem etiam latius exporrigitur. Sic tussientes gravius non raro vexantur vomitu & hæmorrhagiâ, ob viciniam, ac continuatatem motus ferientis. Imò & urinæ involuntaria emissio in eâdem tussi visa huc referri potest. Adeoque quæcunque uno loco degunt, uno vinculo connectuntur, consensum experiuntur & exercent magis.

Nec negandum est, quæ SIMILI OFFICIO funguntur, consensu mutuo gaudere. Si enim causæ sociæ stant pro unâ, recidit in unum, quod malè habet alterum. Quæ pari trahunt jugo membra, consentiunt etiam ex hoc tertio similitudinis, seu officii, siquidem in vivo & sensuali peraguntur actiones corpore. Officium commune, reliquis addendum, majorem consensum importat, maximè ubi simultanea quasi absolute actio concurrit. Sic oculus oculo consentit, ut labem in se derivet ex altero, & illachrymantem uno etiam alter suos patiatur manes: ren reni in inflammatione, qui affectus est gravissimus & acutissimus, ac calculo.

Officii hæc societas non uno gaudet modo. Alia nempe latius paulo & indirectè fiunt, alia proximius, alia medio modo, præsidente ubivis archeo, qui ab hæc occasione modificat actiones. Ita pes pedi consentit, auris auri, renes vesicæ, ventriculus intestinis in actu chylificationis & excretionis in primis, hypochondria sibi invicem, lien hepatici, hepar lieni, & alia διὰ τὴν τῶν ἀλλήλων διαδοχήν. Sic dia phragma, pulmones, musculi pectorales hunc consensum sibi mutuum inferunt. Tendines item, nervi, musculi, nec ipsum cerebrum addamus singula regens.

Sic & mammæ utero consentiunt non tam ob alia capita symbolismi, quam hanc ipsam officii societatem, quam habent sub archei illâ placibili directione. Neque enim vel communio vasorum, vel nervorum, vel alia satisfaciunt curioso animo. Adeoque officii hæc societas ab actione regiminis, seu regimine potius actionis, & hoc ab illâ limitatur & modificatur, ut sic eximum signum fœtûs imbecillioris præbeat lac in mammis, elogio s. aphor. 52. extenuatio etiam subitanea suo modo abortum significat, s. aph. 37.

Neque enim opus est, ut per obviantes sibi venas & arterias mammarias, utrinque, à truncō venæ & arteriæ axillaris ad mammarum glandulas, & hinc sub rectis musculis ad regionem umbilicalem usque excurrentes venas & arterias epigastricas, illum consensum arcessamus absolute. Enimvero mammæ non ab utero, nec hic à mammis accipit

sanguinem. Nihilominus & has concurrere vias absonum non est. Non enim opus est, ut inosculentur sibi actu vasa, uti quidem nonnulli id vidisse se scribunt: satis est fieri ibidē circulationem mutuam, neq; venas epigastricas solūm haurire & revehere sanguinem ab arteriis epigastricis adductum, quin venæ mammariæ illum, & vice versâ, possint haurire. Possent etiam laudari papillæ, quæ quasi centrum sunt, in quod desinunt nervorum, venarum & arteriarum fines, ad eoque exquisito gaudent sensu. Satis est laudare officii mutuam vicissitudinem, tūm à conceptione aliquando extuberrantibus sensim magis mammis, tum potissimum à partu, vel accidentibus circa fœtum in utero adhuc existentem.

Non incommodum erit huc locare ipsum quoque consensum lateralem, quo dextra dextris, sinistra sinistris magis consentiunt, ob officii societatem, saltim in dispensatione circuli sanguinis. Videas hæmorrhagias narium constanter ex dextrâ nare, magis affecto hepate, quod in hydropicâ in primis fœminâ & pluribus aliis vidit *Dn. Praes.*; ex sinistrâ, liene paciente vel obstructo. In scorbuticis lienosis pes sinister contracturâ, tumore, ipsâque Arabum elephantiasi visitur affectus. Sæpe quoque totum alterutrum latus compatitur, tinniente vel susurrante v. gr. aure dextrâ, torrente brachio, formicante pede eodem, quod in catarrhosis defluxionibus, in imminentibus insultibus apoplectiçis & aliis non infrequens est.

Sic etiam nonnunquam pulmone alterutrius lateris exulcerato pulsus mutatur, & diversus ab altero per consensum hinc observatur, quod & utero abortum passuro visum est. Circulatio enim lateralis quoque est, vasis lateraliter divaricatis, unde ob vasa, fibras, nervos, viscera id fit, in unam officii societatem laudatam.

Nullibi similitudo officii, unâ cum vasorum viciniâ & generis homogeneitate, magis conspicere potest, quam in glandulis. Obstructâ vel infectâ unâ coafficitur & consentit altera, exemplo scirrhorum, cancri, scrophularum & similium, cuius aliquot notabilia exempla *Dn. Praes.* vidi.

Studioſus ſcirrho teſtium laborans laterali tumore afficiebatur glandularum, catenâ ad lienem, ad mesenterium usque protensa, chronico & lethali tandem malo. Vir ſenatorii ordinis tumore inguinis finistri correptus, à ſublato pondere, ſcirrhum ibi experiebatur velut geminatum ad eoꝝ ſatis gravem, laterali conſensu, pede ejusdem lateris tumefacto & indurato, quin tandem etiam ſuppurato circa ſuram, inde unà abdomen & hypochondrium finifrum, mesenterii & lienis ſcirrhum manifestabat, imò glandulis in collo & reliquo corpore redditis à tumore conſpicuiſ. In virgine nævus irritatus in lumbis, prope nates, irritatus ab acidis corroſivis, cancri naturam induens in conſenſum vocabat glandulas universas, ut in inguine hinc inde globi vel glomi viderentur, & mammae & collum induratas plures, etiam lividas, ostenderent glandulas, lethali itidem eventu. Hinc phænomenum non contemnendum, ſcrophulis laborantes mesenterium habere ſcrophulofum. Mitimus exempla plura alia ſimilia. Adeò poſito uno abſurdo conſequuntur plura, ipſumque hinc ſyſtema glandularum tandem labem in ſe recipit communem.

Reſtat SIMILITUDO VASORUM. Quæcunque partes inter ſe communia habent vasa, conſentient ſibi invicem magis. In ſanguiferis quidem juxta leges circulationis ſanguinis, in nervis ob ſimilitudinem generis & conneſionem inde factam.

Et hæc conſentiendi ratio omnium latiſſimè patet, reliqua laudata ſupplens & magis illuſtrans, ita tamen ut major ratio habeatur vectorum in vasis, ſeu contentorum, ſive proximius per hæc vasa ſe contingant, ſeu remotius. Sic cor & pulmo conſentient, ut aëſtuante corde respiratio ſit diſſicilis & citatior, & pulmone exulcerato in phthiſi hecticam febrim concipiat cor & totum corpus. Cordi caput & totum corpus, in syncope & lipothymia, subtractis vita-ribus radiis; hypochondria in palpitatione cordis & synco-pe, quæ ex his fontibus frequenter ſcaturiunt.

Talis palpitatione cordis notabilis à liene per conſenſum

aliquando fuit notata, ubi malæ sinistræ tam algidum torporem causavit, ut nullis remediis calor in cutem potuerit revocari, teste *Tulp. lib. 2. observ. cap. 19. p. 127.*

Addi merentur vasa in suo ambitu, ut ipsi canales & vasa lymphatica, ductusque non excludantur. Ita intestina consentiunt toti corpori per vasa mesenterica, seorsim hepati per eadem & ductum choledochum ; consentiunt aures ori per ductum communem, renes cum vesicâ per ureteres, cum partibus genitalibus, per arterias deferentes, ut plura alia exempla non adducamus.

Sic per nervos sexti paris, aliosque, & communionem generis consentit caput utero in doloribus, frigoris sensu, furore, epilepsia ; ventriculo in vertagine, vomitu à vulnere & contusione capitis, incubo, quorsum & vomitus nivagantium referre possumus ; extremis, in aurâ epilepticâ hinc inde ascendentे ex manibus vel pedibus. Hinc pedibus adhibitæ lotiones demulcent nervosum genus, & soporem accersunt. Notavit *D. Praes* epilepsiam fortissimam à gangrenâ digitorum pedis utriusque, à frigore ambustorum. Consentit idem per vasa communia hypochondriis, in melancholiâ hypochondriacâ.

Consentit renibus ventriculus in calculo, inappetentiâ, vomitu teste. Ventriculus cordi in febribus, variolis, morbillis ; hepati in singultu & alias ; utero in cardialgiâ, & vomitu gravidarum ; intestinis in ileo, colicâ, dysenteriâ. Intestina nervis in paresi colicam insequente. Pulmones consentiunt utero in affectibus hysterics & hypochondriis, ut in asthmate, dyspnœâ, suffocatione hysterica, specialiter quoque testibus, quod dudum notavit *Cous.*

Quæcunque vero partes conjunctim pluribus modis simul afficiuntur ex magis etiam consensum exprimunt, ut oculi cerebro in phrenitide, ob viciniam, ob vasa, ob officii communionem ex parte, ob similitudinem generis ; aures eidem in febribus ardentibus, *δυσπνεια* salutari cœteris paribus eveniente quod & pluribus ex dictis competit. Adeoq; maximus consensus est spirituum, medius humorum,

minor

minor solidarum partium, quā talium. Hinc patet, quare nervi maximum momentum absolvant hujusmodi symbolismi.

Quæ item totam œconomiam simul afficiunt, majores quoque vires in consensu citando exerunt. Exemplum sit dentitio infantum, ubi ὁδαξισμὸς ille in consensum citat, cor ipsum & M.S. teste febri conjunctâ; cerebrum in pavares & epilepsiam; ventriculum & intestina in vomitus & diarrhœam, ut extraordinaria seu rarius contingentia, paralyсин v.g. & similia non attingamus. Hæc enim ut regulam non faciunt, ita à communibus illis causandi modis derivari possunt, vel saltim ab ipso archeo mirè receptivitatem dirigente, ut si oculus consentiat, per observata, dígito annulari, mutuo dolore, vel alia similia accident.

Longum foret & præter instituti nostri rationem, si omnes effectus morbosos per consensum oriundos recensere vellemus. Neque enim tam indefinitum & communem quām privatum consensum & foriorationem magis attendere animus fuit.

Sic maxima vis ad mineram & focum morbosum, struendum est infimi ventris, seu uno verbo, hypochondriorum, quæ scaturigo sunt communis omnium ferè morborum & symptomatum, quæ aliàs in his illis partibus essentiali labe oboriri possunt & solent. Sic cum nervi potissimum momentum conferant consensus, effectus etiam amplissimus id testatur. Motus spasmmodici comitantur, vel insequuntur dolores arthriticos, nephriticos, colicos. Nulla pars est corporis, quæ non hoc titulo spasmos, & nominatim epilepsiam, advocare possit, de quo pleni sunt practicorum libri. Idque tum insensibiliter fit & inadverterenter, tum manifestè magis per auram quandam.

His enim casibus plerumque sensus percipitur auræ quasi cuiusdam ascendentis, quā ulterius pergente, ægrotantes instantiam paroxysmi prænunciant. De hâc aurâ quamvis multæ ac variæ dentur sententiae, tamen nihil aliud esse videtur hæc motio apparens, quām motus spiri-

tuum, ab affecto loco, à fermento morboſo expreſſus, & reflexus, cum impetuofitate ad cerebrum tendens, quem unà fibrarum nervosarum ſpasmi comitantur. Conf. *Willis Tract. de morb. convulsiv. cap. 5. p. 51.* Testatur enim experientia, quod per interjectionem ligaturæ in partem intermediam paroxysmus ſæpe impediri poſſit, quatenus ſcilicet hâc viâ occlusâ, motus iſte vitiatus cerebrum versus continuari nequit, quæ ratio medendi omnino commendata eſſe debet; ne laudemus veficatoria & alia revulſoria præſidia.

CAPUT IV.

De Signis & medendi methodo.

Non satis eſt noſſe, dari conſenſum partium multiplicem, ſed & applicare id ipsum, & deprehendere, hoc opus, hic labor eſt. Differunt in hoc medici genuini ab Empiricis, à vulgo, & artem ſuam probant. Non quod ante pedes, ante oculos obversatur ſolum attendendum, ſed plus ultra tendendum, exhaustus fons phænomenorum, ut conſequi effectus poſſit defideratus.

Si itaque fontes signorum conſulamus, eruere ad dūctum horum integrum eſt conſenſum partium. Et ſanè maximè hīc locum habet ac unicè pathologia & ſemiotica comparata, ratione ſubiecti hujus ſpectata, primarii & ſecundarii. Omnis aliunde dependens affectus non per eſtentiam eſt, ſed per conſenſum. Utque datâ eſſentiali labore, de eſſentiali vitio, ita non datâ, de conſenſu arguendum eſt.

Si duo concurrunt morbi, ſeu duo ſubiecta evidenter laſfa, id erui potheſt evidentius. Pars prius laſfa magis eſſentialiter; posterius, ſive tempore, ſive cauſâ, magis per conſenſum laborare cenzenda eſt. Si laboret quis vulnere

capitis inficto & vomitu, sanè hic per consensum oboritur, radiante ad ventriculum hāc lāsione. Sic & si eo tempore, quo mensium fluxus aliàs solebat incipere, sexus sequior conqueratur de dolore capitis, dorsi, aliisque; vel extraordinariè quoque sanguinis ex naribus, canthis oculi, mammis, auribus, ore, cum vel sine tussi, patiatur excretionem, mensibus verò iterum rite fluentibus omnia hāc cessent, intelligimus talia per consensum accidisse symptomata.

Pertinet etiam huc hæmorhoidum fluxus, qui post manus pedisve abscissionem non rarò observatus est, quia mutili tales fiunt plethorici, non impenso sanguine amplius, sed regurgitante ad reliquas partes, indeque oneroso reddito. Nec locus excretionis sine aliquali indicatione est. Si enim ægro e. gr. hæmoptysin paciente, in aliis partibus nullus adest affectus, sed tantùm in thorace, colligimus adesse illam per idiopathiam. Sin alibi deprehendimus labem, colligitur eum laborare per sympathiam, ut quando hæmorrhoidibus, vel mensibus quoque obstructis hæmoptysis supervenit.

Adeoque omnis morbus vel symptoma consequens non tam per se, cœteris paribus, si quidem dependens sit & symbolizet, quām per consensum enascitur. Valet etiam hīc, ubi dolor, tumor, vulnus, sensus molestiæ, auræ, aliasque expressus, ibi morbus primarius, nisi aliunde manifestè vel per bonam συ-χασμοῦ & investigationis causarum consequentiam inductus fit. Nec negligenda regula illa magni Cui: Duobus doloribus simul obortis, non in eodem loco, vehementior obscurat alterum, 2. apb. 46. Siquidem dolor in parte vulneratâ major adesse solet, quām parte condolente.

Sin latens sit altera affecta pars, ut unam saltem lāsionem præcipuam observemus, alia quoque id patefaciunt, v.g. tempus invasionis, duratio & alii comparationis tituli. Morbi intermitentes ut plurimum magis sunt consensuales exemplo febrium intermittentium, palpitationis cordis, epilepsiarum, melancholiæ & similiū. Continuò verò afflgentes & gravius urgentes essentiales magis esse consueverunt. Et extra hanc interpolationem chronici rarò per consensum fiunt, sensim in habitudinem degenerante malo, & ad se derivante parte affecta morbum, prius consensu aliunde radiantem.

Speciatim quoq; viscera & partes inter se homogeneæ occasiōnem suggestur cogitandi de consensu, speciales affectus de communi somite, vicinæ de vicinis, exemplo capitis, ventriculi, uteri, hypochondriorum & similiū laudatorum.

A juvantibus & nocentibus quoque idem posteriori emblematis, quod tamen medium cognoscendi stat post principia, & cum aliis conjungendum est. Ita si duæ partes simul afficiantur, & ad unius evacuationem altera levamen sentiat, manifestum sit hanc laborasse per sympathiam, e. g. in nephritide, ubi vomitus per consensum adest, si adhibitis nephriticis & diureticis vomitus cessaat. Simili modo judicandum, quando ventriculus & caput simul afficiuntur.

Vitam etiam anteactam & varia accidentia progressa, v. g. casum ab alto, contusiones planè non excludimus. Hæc enim sàpè optimè declarant, quomodo corpus afficiatur. Ita si, postquam inordinate vivendo ventriculus noxiis variis oneratus, aut crapula non mediocris procurata fuit, cephalalgia sentiatur, facile erit judicatu, eam esse sympatheticam.

Denique verò non negamus, morbum per consensum posse evadere essentialē. Tunc enim cum recedunt accidentia partis essentialiter lœsæ, alterius per consensum affectæ symptomata leniuntur quidem quodammodo, plenariè verò sublata non sunt. Adeoque diuturnitate temporis morbus per consensum essentialis reddi potest. Reliqua tum facile ex dictis intelligi, tum & aliunde ex practicis huc referri possunt. Videri hanc in rem meretur in primis B. Roflincius Ord. & Method. comment. lib. 3. sect. 1. cap. 10.

Ut verbo etiam PROGNOSIN attendamus, quæ per consensum affectiones enascuntur, ferè minus periculosæ esse consueverunt; quæ etiam ratio est, quod, elogio Hippocratis, febres quoctunque modo intermisserint, periculum abesse significant. Addi meretur & alter ejusdem aphorismus huc optimè quadrans, ex *l. de locis in hom. c. 9. t. 4.*, διποτῶν Φλεβῶν ὅπι ἀν νόσημα γένηται, πάσον δέ τινα, οὐ διποτῶν νέυρων. Quicunque ex venis morbus oritur, levior est, quam qui à nervis, quo despontus in comm. s. 3. apb. 23. latius legi potest.

Ad CURATIONEM quod attinet, primariō bene at-
tendendum est, cuinam partī remēdia applicari debeant; nīsi
enīm partī principaliter affectæ applicentur, juvare non solent,
quod & experientiā suā probat ipse *Galenus l. 1. de locis affect. c. 6.*
ubi mentione facit cujusdam, qui triginta jam diebus triū manus digitorum sensum amiserat, motu integro manente.
Cumque optima applicata remēdia nīhī profecissent, advoca-
tus quæsivit ex medico priori, quānam adhibuisset medica-
menta, & enarrata illa optima declarans porrò institit, an refri-
geratio, an ictus præcessisset, atque, secutā responsione negati-
vā, tandem ægrum interrogavit, an forte superiorum partium
aliqua fuisset læsa. Respondit æger, manum quidem non fu-
isse ictam, sed dorsi initium aliquid passum: in itinere enim
Romam suscepit se è curru decidisse, atque non diu post sen-
sum digitorum periisse. His igitur motus *Galenus eadem* quasi
topicā prope septimā dorsi vertebram applicavit, ægrumque
sic felicissimè curavit.

Ex quibus patet, nervis malè dispositis, magis eorum ori-
gini quām insertioni applicanda esse remēdia, ut etiam testa-
tur *D. Praes Amān. mat. med. lib. 3. cap. 1. § 5.*

Sic vomitus toto die eveniunt, præter alia jām laudata, ex herniā undecunque incarceratā, ipsaque sic passio iliaca, æ-
gris pudore intempestivo celantibus id medicum, frustra ad-
hibitis quibusvis aliis, nisi obstructioni intestinorum locali
prospiciatur, imò sāpe cum ægri detimento lethali confessio
illa differtur. Exemplum quoque istud huc pertinet, quod
recenset *D. Praes l.c. ubi capite vulneratus, biliosa vomens per*
novendum, spiritum menthæ adeò infelici conamine assum-
ferat, ut die undecimo paralyfi, & motibus spasmodicis corre-
ptus vitā decederet. Intelligimus itaque ex dictis prioribus,
non sufficere, ut medicus suum faciat officium, nisi etiam æger
idem præstet, argumento *l. apb. 1*

Quoad ipsa medicamenta aliunde depromenda, notabile
ulterius est: (1) Quod partibus inter se consentientibus dicata
etiam inter se sint symbolica. Ut enim magnus est consensus
capitis, ventriculi & uteri; ita medicamenta cephalica, stoma-
chica & uterina valdè conveniunt. (2) Quod

(2.) **Quod non negligenda** fint univerſatia, vel postponenda specificis, factō etiam in illis ſelectu debito. Sic ſpleneticis optimē proſunt diuretica, ob conſenſum, qui eſt inter lienem & renes.

(3.) **Quod illæ partes**, quæ in uſum eundem inter ſe communicant, & affectus in ſtatu p. n. participant, ut lien, hepar, meſenterium, pancreas, communia quoq; habeant remedia, aperientia, ſcorbutica, cacheotica &c. Et quæ hepatica ſunt, proſunt etiam lieni, & contra.

(4.) **Positis duobus locis affectis**, ſeu morbo sympathetico, ut mixta indicantia ſe offerunt, ita quoq; mixta indicata applicanda. Sic in epileptiā hystericā uterina cum cephalicis, neutrā ſeorsim, & ſola, quæ talia, propinanda. Quod ſi non uno eodemq; medicamento fieri poſſit, ſatis eſt diviſim id curare, unde alia tum in hiſ, tum in febribus & ſimilibus, curatio eſt extra paroxysmum, alia in paroxysmo, quod diversis ſatisfieri debeat indicantibus.

(5.) **Notandum**, quod in medicamentorum operationibus ad ſtructuram machinæ corporis respicere debeamus, & hinc ipsa iis locis applicare, ex quibus in distans agere poſſunt, uti quoq; ſtatuit R. Etmiſſer fundam. med. præcept. therap. cap. 3. §. 10. Ita epithemata hepati vel testibus admota hæmorrhagiam narium firſtunt, & veficatoria, loco convenienti applicata, epileptias & deliria ex variolis retrocedentibus præcavent, imò nonnunquā etiam curant. Tacemus alia, vel bregmati, uti nonnullis viſum, eſt, vel plantis pedum alibiq; applicanda. De reliquo præcipue respicienda ſymptomata urgentia, utpote quæ abſq; totius machinæ eversione diu ferri nequeunt, & haud raro cogunt medicum, derelicto ferè morbo primario, curam ad ſe dirigere. Talia autem habentur dolor, vigiliæ, alvi fluxus, vomitus, lipothymia, deliria & ſimilia, latius & ſpecialius hīc non attingenda.

Qui novit nexum populorum & vincula regum
mutua, bellorum noſſe ſecreta potest.

Non minor eſt virtus ſcrutarier, unde minentur
vifcera vifceribus, fulguraq; unde ruant.

Tu retegis fontes genuinos arte ministrâ,
unde Tibi rivo divite manat honor.